

CAPVT IV.

De Contractu argenti ſignati Regiâ Marchâ, vulgo de Barras.

23 Circa Barras Regiâ eſt ordinatione diſpoſitum; vt mille argenti pondera non excedant, vel quod centum & viginti Marchos tantum habeant, & quod iuxta hanc menſuram Regiâ iura in tranſuectione ſoluantur: vnde circa hoc reſoluenda occurrunt

DIFFICVLITAS I.

An ſit graue peccatum Barras maioris ponderis efficere, quàm Regiâ ſit ordinatione diſpoſitum.

Aſſertio 1. affirmans, quando eſt notabilis exceſſus.

Dico primò. Regij Officiales qui effectioni Barrarum adſtant, grauius peccant, ſi Barras efficiant ponderis notabiliter excedentis, & cum reſtitutionis obligatione. Probatur; quia ſuo officio deſunt in re magni momenti iuxta Regiam æſtimationem. Sic enim pro Barrâ excedentis ponderis eadem Regiâ iura ſoluuntur quæ pro habente pondus lege diſpoſitum: vnde Regiâ defraudantur iura, & ita Officiales fidei datæ deſunt in contractû, quem ineunt cum ad officium admittuntur, curandi ſcilicet Regias utilitates, vt Rex eorum infidelitate nihil minus habeat, quàm quod ipſi ſoluendum legibus ordinatur. Quod quidem iuxta communem doctrinam eſt, de quâ ſæpius.

Aſſertio 2. negans, cum non talis, nec frequenter.

24 Dico ſecundò: ſi Barrarum pondus aliquantulum excedat, idque non ſemper, ſed ſemel, aut iterum fiat, non videtur in eo graue peccatum eſſe. Ratio eſt; quia in eo videtur ratio legis ceſſare, ne ſcilicet iura Regiâ in tranſuectione fraudentur, in maiori enim illo exceſſu parum eſt, in quo defraudatio eſſe queat, vnde non eſt veroliſſime Regis voluntatem eſſe ad obſeruantiam ita rigidam obligare; ſi fortè etiam poteſt, de quo ob materia lenitatem merito poſſit dubitari. Quando autem id eſſet frequens, alia eſt ratio, quia ſic ex multiplicatione Barrarum notabilis eſſe poteſt Regiorum iurium defraudatio.

Aſſertio 3. qui Barras fieri curant vt peccent.

25 Dico tertio. Qui Barras ſibi fieri curant cum notabili exceſſu, eatenus peccare poteſt, quatenus Officiales Regios ad peccandum inducit. Quòd ſi illis non conuenientibus, tale aliquid fiat, non videtur in eo graue eſſe peccatum, quia ſolutio Regalium iurium pro tranſgreſſione incertum eſt an in conſcientiâ obliget, & vt obligatio aliqua ſit, ea non eſt lege iſta, de quâ loquimur, impoſita, ſed aliâ; contra quam tantum itur, quando cum effectu iura negantur: & contingere etiam poteſt, vt Barra numquam tranſuehatur, ſed vel ad monetam ſeruiat, vel aliis vſibus applicetur.

Aſſertio 4.

Dico quarto. Aliquando ſine vilo ſerupulo Barrâ exceſſiui ponderis tranſuehi poſſunt ſolutione communi habentium pondus lege præſcriptum. Probatur; quia multoties Barrâ minoris

ponderis tranſuehuntur, & tamen eadem iura pro illis ſoluere compelluntur tranſuehentes, ac ſi ponderis præſcripti eſſent. Propter quod Conſulatus Limanus apud Regem de hac eſt iniuriâ conqueſtus, & ad Protegem reſcriptum, vt circa hoc opportunè prouideret. Cum ergo iuſta circa hoc compenſatio eſſe queat, non ſunt ita facientes violatæ iuſtitie vllatenus arguendi.

DIFFICVLITAS II.

Contractatio Barrarum quomodo eſſe licita poſſit, quandoquidem per legem determinatum valorem habent.

26 Videtur equidem non licere, ita vt valor varietur, & vendi, ac emi more aliarum mercium. Ideò enim moneta vendi maiori aut minori pretio nequit, quia illum habet lege præſcriptum ſicut & alia, quorum valor propterea dicitur conſiſtere in indiuiſibili, ad diſtinctionem valoris naturalis, ſeu vulgaris, qui latitudinem habet iuxta receptiſſimam doctrinam. Accedit Barras cenſeri monetas, cum ſint argentum Regio ſignaculo conſignatum cum valoris determinatione: nihil enim aliud videtur ad rationem monetæ neceſſarium, licet non ita vſualis ac aliâ; deſeruit tamen ad contractus ampliores, vnde & monetam eſſe plures cenſent. Nichilominus

Barrarum valorem non poſſe variari, que videatur oſtendere.

Dico primò. Licita eſt contractatio Barrarum pretio intra latitudinem iuſti variato: ſic eſt vſu receptum, & non ſolum vulgari opinione, ſed doctorum, ac piorum aſſenſu, & vſu comprobatum. Pro quo præſertim Heuia in labyrintho Cap. 6. num. 7. Probari poteſt primò ex ipſo vſu qui cum eorum eſt, qui in arte ſint periti, & ad doctis, & piis approbatur, nihil eſt vltèrius dubitandum. Deinde: res pretio æſtimabiles, prout magis, & minus ſunt humanis vſibus viles, poſſunt habere pretij varietatem; atqui hoc in Barris contingit, vt experientiâ conſtat, & modò ad 42. vſque ad 35. valor earum eſt imminutus, eò quòd immenſa quantitas vitiatæ monetæ in Barras redacta ſit, ſic metallo à cupri ſuperſtuitatibus expurgato; ergo licita eſt in illis contractatio.

Aſſertio 2. contrariâ ſtatuens, eò licitum eſſe contracta.

27 Neque obest valorem habere determinatum per legem: nam id non tollit quòd minus per cambium permutari poſſit pretio variato; hoc enim & in monetâ accidit, cuius pretium maximè omnium determinatum eſt; & nihilominus per cambium permutari poteſt variato valore; quia vnum genus monetæ alio eſſe vtilius poteſt; & ita communiter admittunt Doctores, & videri pro eo poteſt ſpecialiter P. Leſſius Lib. 2. Cap. 23. Dubit. 2. Cardinalis Lugo Tomo 2. de Iuſtitia, Diſp. 28. num. 8. vbi ait omnes Doctores Theologos, & Iuriſtas eiufmodi lucrum approbare. Indiuiſibilitas ergo valoris legalis non tollit varietatem ratione maioris, aut minoris utilitatis, quam lex non attendit, niſi in ordine ad aliquos effectus. Sic ergo cum quis monetam eudere vult, Barrâ debent ſecundùm valorem legalemi admitti, & cum Rex ſoluit ſimiliter, qui ſalaria non in pecuniâ,

Nec obſtare determinationem valoris per legem.

Vnde pretij indiuiſibilitas deſumatur.

Barras non eſſe monetam.

Nec ſatis fieri ſi ſolutio in illis fiat.

Non in qualibet moneta fieri illam poſſe.

Quid in Hispaniâ.

In quædam que emittuntur monetam aequalis valoris eſſe debere.

nia, ſed in paſta, vt dicitur, ſoluit Officialibus maioribus; & quidem totum hoc pretij negotium qualiter debeat accipi vſus declarat, iuxta quem deprehendi facile poteſt, vbi indiuiſibile ſit, vbi latitudinem habeat, non obſtante indiuiſibilitate.

28 Non eſt autem certum id, quòd initio diſcultatis dicebatur, Barras ſcilicet eſſe monetam: id enim plures negant; ex quibus D. Eſcalona pag. 127. num. 2. & probari quidem poteſt: quia Regium ſignaculum non adicitur vti monetæ, ſed vt conſtet habere legem valoris, aut valorem legis, & quintam partem eſſe Regi ſolutam. Sic enim & argenteis vaſis, aur aureis ſolet apponi, quando accidit illa quintari, vt annis præcedentibus eſt ordinatum, licet id generaliter non potuerit executioni mandari. Cum ergo ex Regio ſignaculo videatur tantum aſſumi aſſertionis prædictæ fundamentum, videtur ſanè leuiſſimum: ex materia enim ineptè arguitur quandoquidem argentum, licet materia accommodata monetæ ſit, ex ſe tamen ad illud eſt proliſus indiſſerens: ſicut plumbum, & cuprum, ex quibus etiam moneta fieri poteſt. Accedit, valde improportionatam molem videri, vt moneta eſſe poſſit, idque ſine exemplo: vnde vt moneta deberet credi, oportuiſſet id omnino aperte declarari; cum tamen oppoſitum videamus.

29 Dicò ſecundò. Siue Barrâ dicendâ ſint monetæ, ſiue non, qui debet, non ſatisfacit in foro conſcientiæ Barras tribuendo, ſi creditor illis non ſit contentus. Conſtat quia ſolutio talis eſſe debet, vt conſtituat æqualitatem, cum ſit actus iuſtitie commutatiue: atqui ſtare poteſt, vt non ſit æqualitas Barras pro ſolutione tribuendo, quia poſſunt illæ minoris eſſe pretij, & minus vtilis notabiliter creditori, quàm pecunia; ergo non ſit ſatis per eas obligationi ſolutionis; & hoc licet monetæ ſint, quia debitor debet ſoluere in monetâ, quæ licet non ſit eiufdem ſpeciei, habeat tamè eundem valorem fixum in ordine ad videntium comoditates: vnde ſolutio magnæ quantitatis nequit apud multas regiones fieri in pecuniâ aræa, propter incommoditatem accipientis, quòd in Italia ita ſeruari affirmat Bonacina Diſp. 3. de Contractibus, q. 2. Puncto 1. n. 2. & in Luſitaniâ certatim pars admittitur, vt ibidem lege diſpoſitum, de quo P. Rebellus Parte 2. Lib. 11. Quaſt. 2. n. 7. Sed quidquid de aræa monetâ ſit, propter legem Hispaniæ quæ ſolutionem fieri poſſe ait in quacumque moneta, etiamſi aurea, vel argentea non ſit, dummodo ſit in Regno vſualis, vt videri poteſt. L. 6. Tit. 14. Lib. 6. Compilat. Omnes tamen ſupponunt, aut potiùs aduertunt pecuniam debere eſſe eiufdem valoris, ita vt Creditor tantumdem accipiat, in minuta moneta, ac in alia metalli pretioſioris, ita vt circa hoc nullus dubitet, nec poſſit dubitare. Videndus Azeuedus ad dictam legem, & Matienzus, qui cum plurimis, quos adducit, generaliter loquitur, cum viliſſimam monetâ ſoluitur, quòd fieri poſſe ſtatuit L. 9. Tit. 11. Libri 5. ad quam ille. Gloſſa 4. num. 8. & 9. illa enim ſemper limitatio addenda: Modò valor non minuitur. Cum ergo Barra minoris valoris ſit, quando ſit ſolutio, eadem de illâ eſt ratio, ac de moneta minoriore. Vbi non obſtat quòd de pretio legali dici poteſt, quandoquidem valor alius, qui præcipuè attenditur in ordine ad contracta-

tionem Barrarum valde imminutus eſt. Quòd autem hoc ita ſit, ex eo redditur manifeſtum; quia Rex ipſe per Officiales ſuos vendere Barras ſolet maiori pretio, quàm ſit legale, eò quòd illud valde ſoleat accreſcere inter Mercatores, vt annis proximioribus occasione abrogandæ monetæ, quia generaliter vitata, omnes conati ſunt, vt abolitionis edictum eos minime pecunioſos inueniret, & ita Barras emere certatim ambiunt; quæ tamen occasione aliâ non multò poſt ad prædictum 35. à 50. ſunt redactæ.

30 Quia verò hæc tanta pretij diminutio præiudicialis poterat eſſe commercio, & non admittentibus creditoribus, grauiâ inde debitoribus incommoda reſultare, dum ad ſolutionem adiunguntur: edictum publico cautum eſt, vt ſolutiones fieri in illis poſſent, ſed cum aliquâ diſtinctione; nam Barrâ ex puro argento & numquam ſignato vt moneta eſſet vſualis, factæ, valorem lege taxatum retinere debent, quadraginta ſcilicet duorum argenteorum ponderum, quæ dicuntur, Enſayados. Aliæ vero ex argento ſignato, ſed non vitiatæ factæ, quadraginta tantum: & huius edicti viſ hucusque perſeuerat, iuxta quòd poteſt debitor creditorem compellere vt ſolutionem admittat, ſicut ipſa multi compelluntur. Mercatores autem hoc modo ſolutionis vt generaliter renuntent, quia id ſibi minus honorificum reputant, eò quòd creditum videatur vacillare.

Circa Barrarum vtilitatem peccati diſpoſitio.

31 Vbi quæri poteſt an edictum tale conſcientiæ ſoluentium ſecuras reddat, quandoquidem adeò grauiâ detrimenta creditores patiantur? Et ſimile quid extat inquirendum, etiam Edictum huiusmodi ſublato: quoad pretium legale: eam ſi quis ſoluat iuxta illud, creditor admittere cogitur, quia & Rex ipſe iuxta pretium tale ſolutiones admittit, vnde non videtur in eo diſcrimen poſſe conuenienter conſtitui, & iuſtitiam Edicti talis veroliſſime reddit, quòd habet P. Rebellus ſupra, vbi adducens ordinationem Luſitanam, iuxta quam in quacumque monetâ ſatisficere poſſe debito monetæ præſtantioris deciditur, & teneri creditorem ad acceptandum; eſt ſpecialis pactio de ſolendo in ſpecie certæ monetæ præceſſerit; eam defendit contra Pinellum, qui iniuſtam dixit; quia iactura illa, quam creditor ſubire cogitur, ex ſine boni publici poteſt honeſtari, & congruentiam ibidem pro eodem adducit, addens num. 8. extra Luſitaniam idem poſſe probabiliter defendi propter ſimilem receptam conſuetudinem, vt teſtatur Gloſſa in l. ſi quis argentum C. de donationibus. Cum conſuetudo vim legis obtineat; ipſe autem oppoſitum probabilis cenſet, vbi ſimilis lex non fuerit, & ita non obligari creditorem in foro conſcientiæ ad acceptandam alterius materiæ pecuniam, quando de certa materia conuentio præceſſit, vt Pinellus, & Couarruias cum plerique aliis aſſerunt, dicentibus conſuetudinem illam vbi que gentium ſeruari ſolitam, non obtinere vim legis, quia ex vrbaniſſime tantum & benignitate creditorum profecta: quæ in dubio pari non debet extendi vt obligationem in foro conſcientiæ inducat, cum ſit ſtricti iuris quoad interpretationem, vt eſt Doctorum communis ſententia. Iuxta hæc ergo edictum, de quo loquimur, iuſtificatum videtur, ſaltem probabiliter, vnde qui ſolunt, probabiliter

Edictum, iuxta quòd creditores coguntur admittere Barras, an an iuſtum.

Pro eo adducitur ſententia P. Rebelli circa monetam.

Qui probabiliter cum alijs contrariâ cenſet.



ter etiam poterant manere in conscientia securi. Circa quod

Affertio 3. Edictum ad Conscientiam forum etiam spectare, ut probabile consistat.

32 Dico tertio. Probabile videtur Edictum predictum ad conscientiam forum etiam spectare, ita ut solvens securus in conscientia maneat. Probatur ex dictis nuper, & præterea, quia prodiit à legitima potestate, & intuitu boni publici: quod quidem si ad conscientiam exonerationem non prodesset, parum profectò vtile videretur, immo nocivum potius esset, cum ex eo conscientiam manerent nodis inextricabilibus implicata. Accedit, secluso edicto posse creditores cogi ad acceptandam solutionem iuxta valorem legalem, ut Mercatores, qui iudices in consulatu fuerunt, vti certum admittunt; quod & in solutionibus, quæ Regi sunt, vidimus etiam observari. Quoad Barras autem inferioris materiam valorem aliquatulum immutatam, rationi videtur conforme, & ita etiam iuxta illum admittendas consequenter potuit imperari. Ut autem tam lex, quam edictum aequitati consonum vltimus ostendi possit, est ratio; quod scilicet non videtur in eo notabilis esse iactura: nam sicut creditor compellitur ad acceptandam solutionem, ita & ille compellere suum creditorem potest, ut similiter acceptet. Quod si creditorem non habet, potest Barras servare, & expectare tempus, in quo valor illarum augeatur: hoc enim frequenter evenit, ut ex adductis constat. Solum videtur esse inconueniens in multis piis operibus, quæ hoc pacto videntur deteriorari: sunt enim pro illis census instituti, qui si oblati Barris, quando illæ inferioris pretij vulgaris sunt, redimantur, redditus cessant, quia non sunt, qui Barras etiam viliori pretio velint; vel si volentes sint, in eo contractu nimium quantum deperditur. Quod si in tempore, in quo plus valitura sperantur, referuntur, toto eo spatio, aut Missæ, aut Orphanorum subsidia, aut Montialium alimenta; aut elemosynæ, duram satis cessationem habebunt. Sed hæc non videntur vrgeri, quia census talibus sunt eventibus obnoxii; cum enim redimuntur, non est facile securum censuarium inuenire, & ita opera pia interdum cessant, & frequentes deteriorantur per censuariorum mutationes: quæ iacturæ compensantur novorum piorum operum adiectione; cum enim quotidianæ sint hominum mortes, multa etiam bona opera quotidie instituantur. Sed occasiane dictorum insurgit.

Inconueniens obiectum.

Cui sit facti.

DIFFICULTAS III.

Contractatio Barrarum quatenus Ecclesiasticis prohibita videatur. Vbi casus speciales.

Absolutio Ecclesiasticis esse prohibita, cum generalibus limitationibus.

33 Non dubium contractationem Barrarum Ecclesiasticis esse prohibitam, sicut & rerum aliarum, quæ negotiationis nomine in iure comprehenduntur, & iuxta Doctorum receptas explicationes debent practicari: adhibitis etiam limitationibus, quas docti aliqui subiiciunt, de negotiatione per alios, non frequenti, ex urgenti necessitate, & si quæ sunt aliæ de quibus videri potest. P. Rebellus Parte 2. lib. 9. Quæst. vltima Sect. 2. P. Comitulus Tomo 1. Lib. 1. Quæst.

53. P. Lessius Lib. 2. Cap. 21. num. 6. P. Filiucius Tract. 35. Cap. 1. Cardinalis Lugo Diss. 26. de Iustitia Sect. 3. P. Fagundez Lib. 5. De Iustitia. Cap. 12. num. 1. P. Dicastillus Lib. 2. Tract. 9. Diss. 1. n. 245. Diana Parte 1. Tract. 8. Resolut. 72. & 73. & Parte 4. Tract. 1. Resolut. 28. & Parte 5. Tract. 1. Resolut. 27. & Parte 7. Tract. 10. Resolut. 21. & Parte 9. Tract. 7. Resolut. 69. P. Molina Dissut. 342. Bonacina Dissut. 3. de Contractibus, Quæst. 1. Puncto 5. num. 18. & seqq. P. Gaspar Hurtadus, Diss. 2. de Contractibus, Difficul. 17. & alij de contractibus agentes. Et id quod ex se videbatur omnino compertum, specialiter declarandum iudicantur Prælati docti, qui in Ciuitate Argentinâ ad Concilium Prouinciale conuenerunt, cuius tunc erat Archiepiscopus Illustriss. Dom. D. Ferdinandus Arias de Vgarte, pietate insignis, & rerum experientia singularis, ut de eius vitâ liber vulgatus attestatur.

Et in Concilio Prouinciali Argentinâ si declaratum.

An emi possint ut soluantur in ipsi, commodo notabili.

Pro affirmante parte arguitur.

Cap. Consequens.

Quid negotiatio.

D. Thomas.

Hac ergo veritate constanti, in Controuersiam vocatum fuit, an Ecclesiasticis emere Barras possint, non vt vendant, sed vt soluant; quod potest dupliciter contingere: Primo, emendo pretio inferiori, animo quidem non vendendi, sed seruandi in tempus aucti valoris, & tunc eis vtiliter vtendi, sine venditione tamen, soluendo inquam debita, vel emendo aliquid, quandoquidem, & pretium esse possunt. Secundo emendo vt emptis statim quis soluat; aut aliquantò post, etiam si pretium earum non accrescat, obligando creditorem vt solutionem accipiat iuxta pretium legale, ex quo commodum non leue consequetur. Et pro vtraque parte ratio aliqua statim occurrit, vt liceat quidem, quia in hoc non est negotiatio sacris canonibus prohibita, de qua præsertim Gelasius in Cap. Consequens 88. dist. verbis illis: Clericus ab indignis quæstibus abstinendum, & ab omni cuiuslibet negotiationis ingenio cessandum. &c. Est autem negotiatio emptio rei, vt cum lucro immutata vendatur: vt videri potest apud citatos; antè illos autem sit tradidit D. Thomas 2. 2. quæst. 77. art. 4. ad 1. & 2. & in hoc vltimo sic loquitur. Non quicumque carius vendit aliquid, quam emerit, negotiatur; sed solum qui ad hoc emit: vt carius vendat. Sic ille: cum ergo in casu nostro; licet quis Barras emerit, non ea vendat, sed eis soluat, aut emat, non videtur contra prohibitionem facere, vt colligitur ex D. Thoma nuper adducto ad Tertium, vbi de Ecclesiasticis loquens, eam illis negotiationem prohibitam docet, quæ ab ipso fuerat explicata, & non alia. Quibus additur: Barras esse monetam secundum multorum estimationem, in qua videtur esse Caramel num. 814. & faciunt etiam quæ habet Cardin. Lugo in Responsis moral. Lib. 6. Dub. 11. num. 6. & ita cum per eam solutio fit, aut aliquid emitur cum aliqua vtilitate, melius apparet in eo venditionem non exerceri. Cumque aliæ Canones prædicti pœnales sint, non debent vltra proprietatem verborum extendi: iuxta vulgatam iuris regulam, quod pœnæ seu odia restringenda sint, fauores ampliandi, quæ & est Scriptorum communis doctrina vnde etiam si eadem sit ratio, vel etiam maior, non extenditur dispositio. Pro quo plura adducit exempla Diana Parte 2. Tract. 3. Miscellaneo. Resolut. 66. & est satis notabilis resolutio coplurium apud ipsum circa præcipuam difficultatem, de qua ibidem agit, Videndus etiam Mar-

Pœnæ non extendi, etiam si maior ratio sit. Sicut & odia.

rius Antoninus Lib. 1. Variarum, Resolut. 89. num. 2. & Lib. 3. Resolut. 9. num. 4. vbi casui, de quo ibidem aptatur Lib. 4. §. Totus. D. de damno in festo quod vbi verba non conueniunt, nec conuenit dispositio.

Pro contracta arguitur.

Negotiatio orati magis explicata.

D. Thom.

Quæstio ex quo quod non sit venditio nulla ostenditur.

Per mutationem negotiationis nomine comprehensam.

P. Rebellus.

34 Vt verò licitum non sit, occurrat statim ipsa species casus, quæ negotiationem præferre manifestè videtur; emitur enim, & non emptio pro necessariis vitæ, sed pro habendo lucro, in quo maximè consistit negotiatio. Quod ostenditur ex D. Thomæ doctrinâ supra, in corpore; vbi ait duplex esse genus commutationis rerum: vna enim est quasi naturalis, & necessaria, per quam fit commutatio rei ad rem, vel rerum, & denariorum, propter necessitatem vitæ, & talis non propriè pertinet ad negotiatores, sed magis ad economicos, & politicos, qui habent prouidere, vel domui, vel ciuitati de rebus necessariis ad vitam. Alia verò commutationis species est, vel denariorum ad denarios, vel quarumcumque rerum ad denarios, non propter res necessarias vitæ, sed propter lucrum querendum. Prima autem commutatio laudabilis est, quia deseruit naturali necessitati. Secunda autem iuste vituperatur, quia quantum est de se deseruit cupiditati lucri, quæ terminum nescit, sed in infinitum tendit. Hæc S. Doctor: iuxta cuius doctrinam habemus contractum, de quo loquimur, ad priorem speciem commutationis non spectare, quia non est propter necessitatem vitæ: ergo ad secundam, & ita esse propriam negotiationem; quod & declarat illius finis, quia est propter lucrum, licet prætextus alius afferatur.

35 Neque est alicuius momenti quod dicitur, finem scilicet non esse venditionem rei immutatæ, sed vsum vilem rei emptæ sine illâ: nam talis emptio eod tendit vt lucrum habeatur, si enim non attendetur illud, neutiquam emeretur; est autem omnino materiale, & impertinens, quod commutatio per propriam venditionem fiat, aut alio modo, quandoquidem lucrum ex re immutatâ præteritur; vnde Doctores, cum negotiationem prohibitam definiunt, obseruant nomine venditionis, permutationem etiam intelligi, quæ venditio non est secundum receptam emptiois & venditionis acceptationem: nam negotiatio & fuit, antequam esset pecunia, & est apud gentes plures, apud quas non est vsum pecuniæ; & quis dubitet ante inuentos nummos negotiationem esse potuisse, quandoquidem nummularia, vt aduertit D. Thomas supra Art. 1. in corpore, ex Aristotele 5. Ethicorum cap. 2. ad hoc inuentum est, vt esset mensura quantitatis rei datæ secundum eius vtilitatem? Quod etiam ex adductis constat: nam in permutationibus potest esse lucrum, & ita illæ seruire cupiditati, quæ terminum nescit, & in infinitum tendit. Leue ergo videtur estugium, quod ex venditione desumitur. Videatur P. Lessius supra Vers. Negotiatio. Qui negotiationis nomine permutationem inclusam, vti certum statuit. P. Rebellus, Sect. 1. vbi id tamquam præsuppositum indubitabile proponit, sic dicens: Quæstio ergo procedit de permutatione, quæ fuit pecuniæ ad pecuniæ, aut rerum ad pecuniæ, aut rerum ad res, non ad vitæ necessitatem, seu ad lucrum, quæ propriè negotiatio dicitur. Sic ille, quæ & est diui Syluestri. V. Negotiatio num. 1. Cardinalis Lugo supra

num. 21. idem cum P. Lessio vt certum supponit in explicatione definitionis propriæ negotiationis. P. Molina Dissut. 339. in principio, similiter loquitur verbis illis: aut alio permutationis genere acquirendo rem aliquam, illamque non mutatam carius vendendo, aut alio aliquo modo cum lucro permutando. similiter vers. Sequenti. & etiam immediato, vbi presè, & propriissime negotiationem ait esse in permutatione ob lucrum, cum res immutata distrahatur. Idem intellige de commutatione, &c. & alij; qui quidem cambium inter proprias negotiationes enumerant, quod & res ipsa satis perspectum reddit; nulli enim magis solliciti negotiatores campforibus, & magis lucri instantes; & tamen in cambio venditio non est, sed mera permutatio pecuniæ pro pecuniâ cum loci distantia.

P. Molina. Vnde & cambium.

36 Siue ergo Barra moneta non sit, siue proprie talis, ex eo nihil videtur pro excusatione legitima talis contractus haberi: nam & circa monetam esse negotiatio potest, vt constat in cambio, vbi obiter notare iuuat Caramelius lapsim sed venialiter fortè, dum iuxta audita proloquitur sub alio cælo positus; quamuis id quod res est, potuisset facillè in tabulis Geographicis peruidere; aut in narrationibus Indicis nemini non obuiis: sic ergo scribit num. illo. 814. Respondeo. In Portubello (insula est maris Oceani, ad quam statum die omnium Indiarum mercatores appellantur) vix monetam cuiusdam cognoscit. Mercim traduntur sarcina, & masse & aureæ & argenteæ (Barras eas nominant) recipiuntur: non enim tempus sufficeret tanta argenti numeranda, si minuta partes traderentur. Barra illa tribus aureis millibus nonnumquam æquivalent: & facili negotio huiusmodi calculis, vel maximum numerum equalis Antuerpiæ, Amstelodami, loco pecuniæ etiam Barras tradi, & recipi vidi. Sed & Barra sigillata sunt, & videntur ab alijs monetis solâ differre magnitudine. Resoluo igitur ad venditionis, & emptiois rationem requiri metallum signatum. Sic ille: sciat ergo qui legerit, Portubellum non esse insulam, sed terram firmam, Peruuij scalam; eod non omnes Indiarum Mercatores appellant, sed ex Peruuio aliqui, & Panamensi tractu: neq; statuta appulsus dies est, sed cum classis Regia ex Hispaniâ aduenerit. Non vix ibi moneta cognoscitur, sed immensa illius copia conspicitur. Barra tribus millibus aureis æquivalentes nullibi extant. Quod Amstelodami loco pecuniæ dentur, & recipiantur, id quidem verissimum; sed dolendum sanè est ad inimicos armandos, multorum ex Hispanis Mercatoribus auariciam arma potentissima ministrare. Vtinam Regij ministri videant, & pergant vel serò de remedijs prouidere. Barrarum sigillum non sufficere, vt pecunia dici possint iam vidimus num. 28.

Nil iuuare quod Barra moneta vbi sunt.

Caramelius lapsus circa illas, & alia.

37 Id autem in quouis potest aliqua constitui, scilicet eum, qui soluit, non negotiari, quia neque contractum init, sed debito satisfactum, vix certè nullam retinet: nam licet verum sit tunc non perfici contractum, perficitur tamen negotiatio, quia emptio eo sine facta est vt scilicet soluendo lucrum habeatur. Quod si ea ratio quidquam valeret, sequeretur ex eâ eum, qui multas merces emit, & reseruat, vt ex eis lucrum referat, sed sine venditione, dum soluit eidem, non negotiari, quod constat quam sit absurdum. Mercatores

Soluens quomodo dicitur negotiari.

Mercator vnde de. Cuius.